

lam; nec divus Augustinus, in locis ibi allegatis, aliquid de tali qualitate docuit, sed ipsam originalem culpam animi vitium appellat, et interdum ipsam potentiarum deordinationem vocat animi infirmitatem, et effrænem concupiscentiam ac motus ejus noxiam qualitatem et languorem animi appellat, ut constat ex libro decimo-quarto de Civitat., capite decimo-nono.

17. *D. Thomæ inique opposita opinio tribuitur.* — Ad fundamenta vero secundæ opinionis, dico imprimis, immerito sententiam illam tribui D. Thomæ, cum non solum ex aliis locis, quæ allegavimus, sed etiam ex illo eodem, in quo pro illa opinione citatur, contrarium facile ostendi possit. Nam imprimis in illo articulo primo, quæstione octogesima-quinta, 1. 2, non tractat in particulari de peccato originali, sed in genere de peccato quærit, an diminuat bonum naturæ. Distinguit autem triplex bonum naturæ, quæ sunt, natura ipsa et proprietates quibus constituitur, inclinatio ad virtutem, et donum justitiæ originalis, quatenus perficiebat naturam. Et de primo negat diminui per aliquod peccatum, de ultimo affirmat tolli omnino per peccatum primi parentis. De medio vero, seu inclinatione virtutis, ait diminui per peccatum, quod statim explicat de peccato actuali, dicens: *Per actus enim humanos fit inclinatio ad similes actus, etc.*, quæ ratio solum in peccato actuali locum habet. Neque enim peccatum originale aliquem actum humanum includit, neque aliquis dicet peccatum originale inducere inclinationem ad similes actus, utique peccato actuali Adæ, cum nec filii Adæ illum actum, vel similes exerceant, neque habitum aliquem per peccatum originale acquirant.

18. *Angelicus Doctor amplius explicatur.* — Imo, nec de peccato actuali, utcumque spectato, D. Thomas loquitur, sed quatenus potest inducere habitum ad similes actus inclinantem, ut ex citatis verbis constat, et aperte ipse declarat in solutione ad 3, dicens, per peccatum diminui bonum naturæ, quatenus per actiones voluntarias causatur aliquid, vel auferitur ab homine sic operante, *ut supra* (inquit) *dictum est cum de generatione habituum ageretur.* Et apertissime, in solutione ad 4, dicit *peccatum diminueret bonum naturæ formaliter, in quantum pertinet ad inordinationem actus; sed quantum ad inordinationem agentis* (inquit), *oportet dicere quod talis inordinatio causatur per hoc, quod in actibus animæ est aliquid activum, et aliquid passivum, etc.*

Non potest autem dici in peccato originali esse aliquid activum, cum sit mera privatio quasi habitualis; ergo non potest diminueret bonum naturæ, quantum ad inordinationem agentis, illud minus potens vel habile reddendo ad naturale bonum operandum. Et eodem modo explicat hanc diminutionem in art. 2 et in 3, ubi, in solutione ad 2, specialiter ait malitiam, quæ numeratur inter vulnera ex peccato inducta, *non sumi pro ipso peccato* (utique formaliter), *sed pro quadam pronitate voluntatis ad malum, secundum quod dicitur, Genes. 6: Proni sunt sensus hominum ad malum ab adolescentia sua.* Quæ pronitas non est nisi concupiscentiæ, vel etiam voluntatis, prout natura sua inclinatur etiam ad sequendum appetitum, quæ inclinatio pronior relicta est per peccatum, non per additionem, sed per subtractionem, ut supra dictum est, et in eodem articulo divus Thomas docet, dicens, in tantum naturam esse vulneratam, in quantum fuit justitia destituta, nam *ipsa* (inquit) *destitutio vulneratio dicitur naturæ.*

19. *Concilia et Patres explicantur loqui de destitutione justitiæ originalis.* — Et per hæc verba divi Thomæ satisfi primæ probationi, ex Conciliis et Patribus desumptæ, quatenus dicunt fuisse hominem vulneratum, etiam in naturalibus, et debiliorem factum in corpore et animo: utrumque enim est verum ratione illius destitutionis, seu ablationis justitiæ, quam dixit D. Thomas esse vulnerationem naturæ. Et ratio metaphoræ est clara ex dictis; nam justitia originalis pacem et unionem inter appetitus hominis constituebat, quæ unio per peccatum dissoluta est, ablata justitia, et ita factum est vulnus in natura, sicut fit in corpore per dissolutionem continui. Atque eodem modo fuit læsus homo in naturalibus, non quia donum amissum fuerat naturale, sed quia naturalem defectum auferebat, seu illi subveniebat. Item eodem modo fuit liberum arbitrium læsum, vel extenuatum, et totus homo secundum corpus et animam in deterius commutatus, quia in utraque parte et potentiis ejus vulneratus est.

20. *Metaphoricæ locutiones explicantur, vulneratus, semivivus, etc.* — Ad instantiam autem quæ fiebat, quia in pura natura non esset vulnus, nec homo esset semivivus relictus, respondetur de his vocibus metaphoricis ita loquendum esse, sicut theologi loquuntur de illis, *nudus* vel *nudatus*, *privatus* vel *non habens*. Nam homo, in statu puræ naturæ, eandem carentiam indumenti justitiæ, quam ha-

bet nunc homo lapsus, haberet, ac subinde eandem nuditatem: quia vero in statu puræ naturæ illam semper habuisset, non diceretur nudatus, sed nudus, nunc autem dicitur nudatus, quia fuit aliquando vestitus. Et similiter nunc dicitur privatus, tum propter eandem rationem, tum etiam quia censetur habere proximam capacitatem illius justitiæ, juxta divinæ providentiæ institutionem: in pura vero natura solum dici posset carere, vel non habere justitiam, quasi per simplicem negationem, et remotam capacitatem. Sic etiam tunc eandem quidem dissolutionem, seu divisionem inter appetitus haberet; illa vero non habuisset rationem vulneris, quia nunquam habuit contrariam unionem, et quasi copulationem: vulnus autem dicit proprie relationem ad præcedentem unionem. Nam significat terminum vulnerationis, vulneratio autem non fit nisi per actionem, qua dissolvuntur, quæ prius unita fuerant. Et eadem ratio est de metaphora semivivi. Nam propter vulnera dicitur homo sauciatus, et *semivivus relictus*, quia etiam vox illa *relictus*, declarat, prius habuisse hominem plenioris et sanioris vitam, quam per culpam et subsequentia vulnera ita perdidit, ut semivivus relictus esse dicatur, quod non haberet locum in homine creato in puris naturalibus, quia nec in illo præcessisset illa vitæ perfectio, neque peccatum ex vi illius status. Quod manifeste constat in corporis mortalitate, quæ certe non est major in natura lapsa quam in pura, et tamen nunc habet rationem vulneris, et ratione illius potest dici homo semivivus relictus, etiam in corporali vita, quia, ut dixit Gregorius, vita, sub tali corruptionis onere, mors est potius dicenda quam vita: in pura autem natura, nec haberet rationem vulneris, nec dici posset homo, propter inflictas plagas, semivivus esse relictus, sed esse creatus semivivus, vel quid simile.

21. *Satisfi secundæ probationi.* — Ad secundam probationem, jam dictum est, peccatum actuale minueret bonum naturæ, etiam puræ, per additionem pravi habitus vel dispositionis, et non alio modo, et inde potius convinci peccatum originale solum, seu per seipsum, non posse talem diminutionem efficere, et ita, declaratione ibi facta recte perpensa, ut jam illam etiam expendimus, contrarium concluditur. Ad tertiam probationem dico imprimis valde probabile esse, peccatum originale contractum ex Adamo, sicut non convertit hominem ad bonum commutabile, juxta senten-

tiam divi Thomæ, ita nec avertere a bono incommutabili, ut est finis naturalis, quia hæc aversio non potest fieri per puram privationem, sed per contrariam conversionem. Et ita non procedit argumentum, quia dicitur peccatum originale solum avertere a Deo fine supernaturali, et ita non minueret naturalia, quantum ad id quod ex se habent, sed solum quoad perfectionem quæ ex conversione ad Deum finem supernaturalem, et dona gratuita quæ ratione illius dabantur, illis adjungebantur. Ut vero ab hac disputatione nunc abstrahamus, dato antecedenti, scilicet, quod peccatum originale avertat etiam a fine naturali, negatur consequentia, quia illa aversio non est aliqua forma physica, nec privatio realis alicujus perfectionis, connaturalis naturæ, sed est vel quædam relatio ad præcedentem actum pravum, vel moralis quædam habitudo, et quasi denominatio ab illo, quæ moralitas, licet hominem reddat invisum Deo, et odio dignum, non tamen auget vel minuit per se inclinationem ad bonum vel malum, sed solum quatenus habitum vel realem aliquam dispositionem relinquit, ut satis explicatum est. Ad ultimam probationem negatur antecedens, quia in eo assumitur quod probandum erat: unde dicimus, vel in utroque statu posse hominem actum dilectionis elicere, et gravi tentationi ad breve tempus resistere, vel in neutro posse: quid autem horum verius sit, in sequenti libro disputabitur.

CAPUT IX.

UTRUM IN STATU NATURÆ LAPSE DEBILIOR SIT HOMO AD BONUM OPERANDUM, QUAM IN PURA NATURA, SALTEM OB CAUSAS EXTRINSECAS?

1. *Duo externi auxilii modi, de quibus inquiri potest, explicantur.* — Præter intrinsecas vires quibus homo indiget ad bene operandum in quocumque statu naturæ, requiritur etiam auxilium aliquod extrinsecum, saltem ex eo quod causa creata et finita est, ideoque ex eo capite potest fieri per peccatum debilius ad operandum, licet intrinsece non minuatur. Postestque illud auxilium duplex cogitari, unum perse influens cum homine in opus ejus, aliud per accidens, tanquam removens prohibens. Prius necessarium est homini, saltem ex eo capite quod causa secunda et particularis est, quæ non potest, sine influxu aliarum causarum, et præsertim primæ, operari, et, quatenus est causa indifferens et libera, censetur pecu-

liari modo indigere hoc auxilio, ut videbimus. Posterior autem modus esse etiam potest vel necessarius, vel utilis, quia causa finita et libera potest multis rebus extrinsecis impediri, et ideo, si impedimenta extrinseca multiplicentur, vel minuuntur causæ removentes illa, potest ex hoc capite fieri homo debiliior ad operandum, etiamsi internæ vires ejus diminutæ non sint. Videndum igitur superest an aliquo ex his duobus modis homo, in statu naturæ lapsæ, deterioris conditionis factus sit, quam in statu puræ naturæ esset futurus.

2. *Recentiorum opinio refertur.* — Circa priorem modum, moderni quidam opinantur, hominem lapsum esse impotentiorum ad operandum bonum, quam esset in puris naturalibus, non per intrinsecum augmentum, vel diminutionem alicujus facultatis naturalis, vel additionem alicujus qualitatis, quæ non esset in homine in pura natura constituto; sed per mutationem moralem in ordine ad providentiam Dei, sine qua non potest homo bonum aliquod libere operari. Explicaturque in hunc modum, quia in neutro statu potest homo aliquid bene operari sine præveniente cogitatione accommodata ad bene operandum, quæ, cum præcedat voluntatem, non potest esse libera, neque est in potestate hominis, et ideo ab extrinseco per divinam providentiam provenire debet. Hæc igitur cogitatio esset debita naturæ puræ per modum providentiæ vel concursus naturalis, vel saltem non esset indebita, sed esset beneficium consonum innocenti naturæ: et ideo ex hac parte homo in pura natura esset absolute potens ad aliquod morale bonum operandum. In statu autem naturæ lapsæ, censent sic opinantes esse in hoc debiliorem factum.

3. *Fundamentum rationis.* — Ratio est, quia talis cogitatio congrua per peccatum fit homini indebita; imo, ex vi peccati, debitum est homini, ut tali cogitatione privetur, et de facto privaretur illa in pœnam peccati, nisi per gratiam redemptionis obtineretur; ergo ex hac parte impotentior est ad operandum bonum homo lapsus, quam purus. Antecedens patet, quia homo lapsus ex vi primi peccati constitutus esset in termino damnationis, nisi repararetur per Christum; sed damnatus in pœnam peccati privatus manet omni cogitatione congrua ad honeste operandum; ergo et homo lapsus ex vi talis status caret cogitatione necessaria ad operandum bonum, et ex hac parte est impotentior. Potestque hoc confirmari ex Augustino, libro Propositionum in epistol. ad

Roman., ubi in 18 dicit: *Liberum arbitrium perfectum fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium, ut non peccemus.* Clarius Fulgentius, libro de Incarnatione et gratia, cap. 13: *Peccans ille qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam cogitandi quæ ad Deum pertinent amisit protinus facultatem.* Et infra: *Exspoliatus vestimento fidei, carnaliumque concupiscentiarum vulneribus sauciatus, sic jacuit oppressus ditione peccati, ut nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuisset, nisi hoc, Deo gratis donante, sumpsisset.* Idemque videtur sumi posse ex Prospero, libro primo de Vocatione gentium, capite septimo.

4. *Opposita opinio vera.* — Nihilominus dicendum est hominem, in natura lapsa, non minus habilem esse ad bene operandum, cogitandum, et judicandum de agendis, ex parte divinæ providentiæ generalis, et naturæ consentaneæ, quam esset in statu puræ naturæ, si in eo conderetur. Ita sentiunt communiter theologi capite præcedenti allegati, dum indistincte de utroque statu loquuntur, et quidquid in uno admittunt, alteri tribuunt. Significat D. Thomas 1. 2, tota quæst. 109. Clarius vero in 2, distinct. 28, quæst. 1, art. 1 et 5; et ibi Ægilius, dubio primo, quæst. 1, post secundum articulum; et Gabriel, art. 2, conclus. 1; Medin. 1. 2, quæst. 109, art. 1, conclus. 1; Valentia, disp. 8, quæst. 1, punct. 2, in ultima parte ejus; Bellarmin, lib. 3 de Gratia et libero arbitrio, cap. primo et secundo; Stapleton., lib. 2 de Justification., cap. ultim., et alii, quos libro sequenti referemus. In quibus adverto duo. Unum est, nullum eorum facere differentiam inter hominem lapsum, et conditum in pura naturæ; sed omne id quod est possibile, per naturæ vires, homini non lapso, in pura natura, putant esse possibile homini lapso: metiuntur enim facultatem naturalem hominis lapsi, ex facultate naturali hominis in pura natura conditi. Aliud est, nullum eorum differentiam constituere inter facultatem internam hominis secundum se spectatam, vel ut subest providentiæ Dei; sed quidquid potest homo per intrinsecam facultatem, simpliciter dicunt posse, supponentes non deesse possibilitatem ex parte providentiæ Dei.

5. *Auctoritas indicatur.* — Possumus præterea ex Patribus multa congerere, in quibus non aliter loquuntur de homine lapso, quam natura rationalis secundum se spectata exigat, sed illos omitto; tum quia a dictis auctoribus,

præsertim Bellarmino, Staplet. et Valent., late referuntur; tum quia in sequentem librum propriam de hac re disputationem reservamus, ubi inquirimus quid illud sit, quod homo in utroque illo statu naturaliter possit; hic enim solum generatim tractamus, an idem possit, quidquid illud sit. Solum, noto verba Prospero dicto libro primo de Vocatione gentium, cap. 7, ubi, post explicatum miserum statum hominis lapsi, subdit: *Quia etsi fuit, qui naturali intellectu conatus sit vitiiis reluctari, hujus tantum temporis vitam steriliter ornavit, ad veras autem virtutes æternamque beatitudinem non profecit.* In quibus verbis, solum pondero illa *naturali intellectu*, nam aperte supponunt, honesta cogitatione, seu judicio morali, id posse hominem lapsum, quod homo purus per naturalem potest, ac denique aliquid posse, licet parum. Idem sumi potest ex Augustino, ut respondendo ad argumenta dicam. Item testimonia præcedenti puncto adducta hoc etiam confirmant.

6. *Nostra ratio.* — Ratione probatur hæc sententia, quia, si facultas intrinseca hominis lapsi et puri ad moralia opera eadem est, etiam ex parte Dei modus providentiæ est æqualis, ac subinde facultas quasi proxima, et, ut subest providentiæ Dei, erit æqualis. Posterior consequentia evidens est. Prior vero probatur, quia Deus non punit peccatum, etiam originale, negando homini providentiam naturalem. Nam illud axioma theologorum supra positum, naturalia mansisse integra post peccatum, non magis verum est de naturalibus intrinsecis ex parte hominis, quam de naturalibus seu connaturalibus ex parte divinæ providentiæ; quia hæc servant inter se proportionem, neque Deus, propter peccatum, relinquit naturam sine concursu proportionato ac debito tali naturæ. Et confirmatur primo: nam, licet peccatum de se sit dignum tali vel tali pœna, tamen de facto non omnis naturæ incommoditas possibilis est pœna peccati, sed hoc pendet ex lege Dei, ejusque voluntate libera, taxante talem vel talem pœnam pro culpa. Posset enim Deus juste in nihilum redigere peccatorem, vel illum morte afficere statim ac peccat, vel privare usu rationis, vel habitu fidei, etiamsi peccatum non sit illi contrarium, sed tantum demeritorium ejus; et tamen, secundum legem ordinariam, non sunt hæc pœnæ correspondentes peccatis, quia Deus illas non taxavit. At vero non potest cum fundamento affirmari, statuisse Deum pro pœna originalis peccati, ut homo nunquam habere

possit cogitationem honestam et congruam ad bene operandum naturaliter; ergo id asserendum non est, neque est credibile. At vero, seclusa pœna, in reliquis omnibus est æqualitas inter hominem lapsum et purum, quoad facultatem operandi, de qua tractamus, et quoad Dei influxum, ut auctores etiam contrariæ sententiæ supponunt, et videtur per se notum; ergo simpliciter sunt æquales.

7. *Amplius fulcitur ratio facta.* — Minor principalis rationis, in qua vis ejus consistit, patet primo, quia talis pœna nec in Scriptura habet fundamentum, nec in Conciliis aut Patribus explicatur, neque (quem ego viderim) ab aliquo theologorum antiquorum docetur; ergo non potest cum fundamento asseri. Ea enim, quæ pendent ex libera Dei dispositione, et ex effectibus non possunt investigari, non possunt sine gravi auctoritate affirmari. Præsertim quod talis pœna valde aliena videtur ab ordinatione divinæ providentiæ, et a statu in quo homines lapsi generantur. Quamvis enim per originale peccatum reatum æternæ damnationis incurrerint, non tamen nascuntur damnati; ergo ex vi peccati originalis non nascuntur obstinati in malo; ergo nec ex vi peccati originalis incurrunt pœnam privationis communis providentiæ, et naturalis adjutorii necessarii ad habendam honestam cogitationem, ita congruam ad honeste operandum sicut illam habere possent in statu purorum naturalium, si in eo creati fuissent. Et confirmatur, quia alias sequitur infantes, qui sine baptismo seu in peccato originali decedunt, ita futuros esse obstinatos in malo, ut nunquam possint habere honestas operationes, nec cogitationem congruam ad illas. Probatur sequela, quia nullo illi modo participant redemptionem Christi; ergo luunt omnem pœnam peccati originalis absque ulla remissione; sed privatio omnis boni honesti, et concursus congrui ad illud cogitandum et exequendum, est pœna originalis peccati, ut illa sententia dicit; ergo illi infantes sunt omnino privati tali concursu, et habent impossibilitatem talis cognitionis et operationis honestæ. Consequens autem est per se incredibile, et videtur contra bonitatem Dei, quia cum illi infantes non patiantur pœnam ignis juxta probabiliorem sententiam, nec vivant in aliorum damnatorum societate et tormentis, nihil esse videtur quod possit eorum voluntatem ita prave disponere, ut incapax sit honestæ motionis et cogitationis congruæ ad illam habendam. Unde non videtur possibilis illa obstinatio, nisi ex speciali provi-